



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

2. SS. Eucharistiæ Fides postulat solidam Humilitatem in Christiano  
acceptante, conseruante, demonstrante, vtente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

virtutum genere eminere, ponite fundamentum Humilitatis. Si vultis esse cari S-S<sup>mæ</sup> TRINITATI, humiliamini sub potenti manu DEI. Si optatis censerī inter cultores Altissimi supremos, laudate Patrem Humilitate, celebrate Filium Humilitate, magnificate Spiritum sanctum Humilitate. Humilitate, humilitate, humilitate sit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. AMEN.

## ARTICULUS II.

## S-S. EUCHARISTIÆ FIDES

*Postulat solidam Humilitatem in Christiano acceptante, conservante, demonstrante, urente.*

CONSPIRANT Catholici omnes in Ecclesiâ DEI, ut quanta possunt honoris significatione celebrent per hanc octavam Festum Corporis Christi. Huc conferunt omnem quem habent ornatum Ecclesiastici, omnem quam producere possunt pompam politici, omnem quem corradere queunt sumtum agrestes. Ipsi quoque milites in castris tormenta bellica ad sacrum illum usum convertunt. Hinc tubæ personant, pulsantur tympana, exploduntur magno fragore militares ex ære fistulæ. Traducta etiam ad Musarum castra aliqua celebratis hujus Eucharisticæ parte, convestiuntur parietes ingeniorum aulæis, quæ sunt epigrammata, emblemata, ænigmata, scriptoris manu bellè expressa, aut penivallo artificiosè tabulis papyraceis cõsignata. Ubique celebrantur processiones: ubique cantatur, alicubi etiam saltatur, ubique auditur laus & jubilatio. Soli heretici domi se continent, velut in spelæis homines lucifugæ,



isfaga. Ibi tamen mustitant, strident, allatrant, ringunt, sed inani conatu. Siquidem Catholici pergunt, exultant, canunt, tripudiant: sese mutuò extimulant, sibi que acclamant identidem.

*Quantum potes, tantum aude,  
Quia major omni laude,  
Nec laudare sufficis.*

AT undè tam magnum inter Catholicos & hæreticos, inter Papistas & Lutheranos, inter Romanenses & Geusios discrimen? Omissis ambagibus, inde est, quod in Catholicis est virtus quædam, cui nomen Humilitas: in Hæreticis deest Humilitas. Catholici Humilitate subdunt intellectum suum DEO, eiusque verbo, quâ scripto, quâ tradito: atque ideò credunt, corpus esse corpus; sicut sciunt, fabam esse fabam, ficum esse ficum, ollam esse ollam. Itaque dum audiunt à Christo Domino dictum: *Hoc est corpus meum*, non concipiunt solum modò, ibi esse aliquod Corpus Domini; sed credunt per fidem divinam ibi revera esse corpus illud, quod erat Domini JESU: ideoque illud ipsum Iatriâ, hoc est, cultu divino adorant. Sed fides in iis non esset, nisi esset in iisdem Humilitas solida, id est certa, minimeque vacillans; sicut nò esset fundamentum domus, nisi esset soliditas terræ, quâ fundamentum supponit. Verùm hæretici dū audiunt: *Hoc est Corpus meum*, quo sunt nimirum ingenii acumine, id est, ruditate, quia nolunt illud captivare in obsequium fidei, nec humiliare sub potèntiam Dei, per tò *Corpus* concipiunt figuram inanem corporis, umbram corporis, metaphoram significativam corporis. Stolidi homines, & ridiculi, digni planè, qui hoc octiduo vescantur cibus, quos apposuit aliquando convivis suis Heliogabulus, cœnam iis apparans ex cibus pictis: & illis non apponeretur aliud, quàm olus pictum, jusculum pictum,



pictum, caro vel assa vel elixa picta, caseolus pictus: ce-  
 tera picta: item, daretur ad potandum, cerevisia, aut vi-  
 num pictum, & juberentur comedere hilariter, ac im-  
 plere ventrem cibis metaphoricis & æquivocis: discer-  
 rent illi tunc, reor, quod sit discrimen inter corpus ven-  
 ac metaphoricū. Sed quomā nunquā tam opiparē sacra-  
 menti: & multo magis, quia fide carēt, Sacramentum  
 dei credere non possunt, & nolunt. Quare nullam ei re-  
 verentiam, aut venerationem exhibent. Cujus, ut an-  
 advertitis & originaria & fundamentalis causa est,  
 defectus Humilitatis: quæ virtus ita prærequiritur ad fi-  
 dem Christianam, sicut soliditas terræ ad fundame-  
 tum domus. Ut in superioribus, ex disciplina architec-  
 tonicā probavimus: nam est removens prohibens, sive  
 tollens impedimenta omnia firmiter ponendi Funda-  
 mentum fidei in Domo Sapientiæ, seu Virtutum Ædifi-  
 cio: tollit enim tuber superbiæ, implet lacunas pusilla-  
 nimitatis, adæquat & complanat quicquid est emine-  
 aut depressum. Quare meritò Humilitas censetur prima  
 virtutum Christianarum, ac ceterarum etiam Funda-  
 mentum.

---

### ARTICVLVS III.

#### ARCHITECTONICVM AXIOMA

*De proportionē profunditatis Fundamenti, cum altitudinē  
 Ædificii demonstratur exemplis.*

**I**N Humilitatis fundamento jaciendo diligenter ob-  
 servanda est regula ab Architecticis omnibus appro-  
 bata: ut altitudinē ædificii respondeat profunditas fun-  
 damenti: & illa hujus sit mensura. Quam transferet S.

Augu-